

dinali asserenti se esse Legatum, creditur circa Ordinariam potestatem, etiamsi Litteras suæ Legationis non exhibeat; *cap. Nobilissimus vir 3. dist. 97. Alban. de Card. qu. 24. Selva de Benefic. part. 2. quest. 3. num. 46. Barbosa loc. cit. num. 63.* cum pluribus ibi citatis. (21. Decimo octavo, Cardinalis dicto, de consuetudine Curiae, statur in iis, quæ dicta, vel facta sunt coram eis; *cap. Constitutis, et ibi Hostiens. de appel. Abb. cons. 8. l. 2. col. 3. vers. primo enim; Card. Tusch. loc. cit. concl. 103. num. 8. Diana dict. part. 5. tract. 2. resol. 31. Barb. loc. cit. num. 65.* (22. Decimo nono, Cardinales Episcopi habentes Indultum, possunt, non obstante Decreto Sanctæ memoriæ Clementis VIII. ante vacationem unire Seminario Beneficium, quod obtinet Familiaris Papæ Defuncti. Sacra Congreg. Concil. in *Tudertina 15. Aprilis 1628.* apud *Sellium in select. Canon cap. 2. num. 26.* et *Barbosa Apostolicar. Decis. collect. 131. num. 21.* (23. Vigesimo, Privilegia omnia Episcopis ob status Dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur propter majorem eorum Dignitatem, quam habent ex Constitutione Eugeni IV. incip. *Non mediocri.* Sic expresse tenet *Paulus Layman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 2. n. 1. Diana d. part. 5. tract. 2. resol. 48. Barbosa loc. cit. num. 77.* et alii passim. (24. Plurimis aliis privilegiis gaudent omnes Eminent. Cardinales, sed quia nimis operosum esset hic ea omnia retexere, relinquuntur videnda apud *Alban. Manfr. Dian. Germ. Zech. Lorich. Azor.* et alios de ipsis diffuse tractantes.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. De singulis Cardinalium Privilegiis disserere longum esset, limitesque excederet additionum. Eo vel maxime, quod de numero eorum non convenitur. *Albanus* triginta tria enumerat privilegia, *Cohellius* quadraginta unum, *Manfredus* octoginta novem, quidam in opere manuscripto, cujus meminit *Germonius*, tercentum. Vide, si lubet, *Reverendissimum Tria in Synopsi S. R. E. Cardinalium præcipuorum Privilegiarum* impressa post *Piat. de Cardinal. Officio, et Dignitate editionis Romanæ Anni 1746.*

(26. Illud vero hic non omittendum, quod Cardinales inter alia hoc donati sunt Privilegio, ut testamentum facere possint, non secus ac milites. *Rota cor. Crisp. decis. 339. n. 1.* (27. Nota vero, Cardinales non gaudere in testando militum Privilegio quoad ea quæ militibus ratione imperitiæ tributa sunt, adeoque hæredem in re certa instituere nequire. *Rota cor. Crisp. dict. dec. 339. n. 13.*

(28. Possunt itaque solum Cardinales ad instar militum sine solemnitatibus testari, et sic *Schedula* ab ipsis scripta, vel subscripta ulla solemnitate a jure civili præscripta, et sine ulla præsentia Testium valet uti testamentum. *Lanfredin. Resp. Eccles. 4. num. 4.* Quod si Cardinalibus placeat testamentum mutare, vel novum condere, eodem semper ii gaudent Privilegio non adhibendi solemnitates.

Idem supremum Tribun. *cor. Crisp. dicta dec. 339. num. 18.*

(29. Nonnumquam vero dubitari solet, an *schedula* a Cardinali relicta contineat certam, ac determinatam ejus voluntatem; vide ubi res postulat *Lanfredin. Respons. Eccl. 27. num. 28.* utrobique *per tot.* qui docte pro more materiam discutit.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(30. Cardinalem Professum ex ordine Hierosolymitano, cum sit vere et stricte quoad substantialia Religiosus, non habere dominium, ac proprietatem rerum. nec de iis testari posse sine speciali summi Pontificis concessione. Hanc autem ut rite obtineat, debet in precibus utrumque, quod habet ad testandum, cum ex clericatu, tum ex statu religioso impedimentum exprimere. *Andreucci in diss. de Card. professo ex ordine militari S. Joannis Hierosolymitani,* in qua etiam de hujusmodi Cardinalibus alia disputat satis curiosa, ac parum obvia, *n. 23.*

(31. Alia inter privilegia Cardinalibus competentia est hoc quod super beneficiis ab ipsis possessis imponi nequeat pensio. Privilegium hoc concessum fuit ab *Urbano VIII.* ut patet ex Constitutione 145. in Bullario *Mainardi.*

(32. Quæstionis est, an, ut Cardinales gaudere hoc privilegio possint, sufficiat, quod sint reservati, an vero necesse sit, quod publicati sint. Meo judicio non aliter privilegio hoc gaudere queunt, quam si sint publicati. Regula enim est, quod privilegia, quæ conceduntur ratione alicujus dignitatis, incipiunt non a die collatæ dignitatis, sed a die notificatæ dignitatis. Ita tradunt *Brunem. ad t. Codicis de cons. n. 7 l. 12. Hoppius in Comm. ad instit. lib. 1. tit. 12. § 4. num. 3.* ibi: «Codicillis id est litteris de collata dignitate testantibus. Ex quo colligere licet privilegia ob officium aliqui competentia non a tempore suscepti officii, sed a tempore, quo quis Codicillos accepit inchoari. *Martini Jurisprud. civil. secund. ord. instit. lib. 1. tit. 12. § 4. num. 9.* ibi: «Codicillis præstitis, id est litteris principalibus, quæ dignitatem collatam testantur. Hodie diplomata vocamus, unde non a die suscepti officii, sed a tempore quo quis diploma accepit privilegia ob officium competentia inchoari.»

(33. At privilegium hoc concessum ab *Urbano VIII.* ratione dignitatis concessum est. Atque hinc gaudere eo minime possunt Cardinales si sint reservati et non publicati. Profecto, si ante publicationem Pontifex intereat, desinunt esse Cardinales, ideo ante publicationem simplicis Præsulis figuram gerunt, qui cum hoc non gaudent privilegio, nec eodem gaudere poterunt, licet ad Purpuram destinati quousque non sint ad eam publice renuntiati.

(34. 1. Inter privilegia Cardinalibus concessa recensetur jus exercendæ jurisdictionis in suis diocesis post Pontificis confirmationem etiam non capta possessione, et quin Bullas Pontificias ostendant *Diana, Garcia,*

alique Canonistæ, non tamen exempti sunt a trienniali visitatione Liminum juxta *Constitutionem* Sixti V. *Romanus Pontifex,* cujus vigore contravenientes pœna plectuntur suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, ab administratione temporalium, et spiritualium, et a fructibus Ecclesiæ Episcopalis. *Bonacina de cens. partic. disput. 3. qu. 6. punct. 7. Barbosa prætermis. ad collect. in Extrav. lib. 1. t. 8. de major. n. 5.*

(35. II. Romæ commorantes possunt beneficia in suis diocesis vacantia providere. Quæstio est, an in Beneficiis curatis debeat præcedere concursus. Negant alii, alii affirmant, de quibus vide *Andreuc. Hierarchia Ecclesiast. lib. 2. num. 29. § 9.*

(36. III. Cardinales etiam non Episcopi in Conciliis generalibus jus habent præsentiae et suffragii, ut in tribus *Concil. Lateranensibus* in duobus *Lugdunens.* in *Viennensi,* in *Constantiensi,* in *Florentino,* et tandem in *Tridentino.*

(37. IV. Offendens Cardinales est reus læsæ majestatis. *Cap. Felicis. de pœnis in 6.* et incurrit excommunicationem in Bulla Cœnæ, in quam incidit etiam, qui sciens, non denunciaret conspirantem contra Cardinalem ex *constitutione* S. Pii V. 19 *Januar. 1569.* ob mortem attentatam contra S. Carolum Borromeum *Benedict. XIV. de Synod. Diæcesan. lib. 9. cap. 6. § verum Communis in fin.*

(38. V. Etenim statim ac ad purpuram promoventur Patrigii fiunt scripti in diademate Principis, et pars corporis ipsius reputantur ex *Navarr. tom. 3. cons. de dat. et promis. num. 10.* quem allegat *Andreuc. loc. cit. de Cardin. in gen. dissert. 2. de privileg. Cardin.*

ARTICULUS V.

Quoad Cardinales in Conclavi et sede vacante.

(1. Cardinales ingredi debent Conclave transactis decem diebus a morte Papæ. *Gregorius X. in cap. Ubi periculum, de elect. in 6.* ibi: «Cardinales, qui fuerint in Civitate ipsa præsentem, expectare decem diebus tantummodo teneantur, quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in Palatio.» etc. (2. Cardinales non possunt habere in Conclavi ultra duos servientes Clericos, vel Laicos, sibi benevisos. *Conc. Constant. sess. 41.* ibi: «Quilibet non habeat ultra duos servientes Clericos, vel Laicos, quos duxerit eligendos, et simpliciter permittantur duos habere per Constitutionem *Clem. VI.* licet in Constitutione: Ubi majus, non liceat habere duos, nisi ex patienti necessitate.» (3. In Conclavi Sede Apostolica vacante, debet adesse unus Religiosus pro Confessionibus audiendis, a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus (1). *Pius IV. in Const. 63. incip. in eligendis § 18.* (4. Cardinales Episcopi,

(1) Quamquam olim *ly religiosus* virum regularem indigitare multi contenderent: nunc tamen omnis disputatio sublata esse videtur, cum in novissimo conclavi confessarius delectus fuerit ex clero sæ-

audita morte Papæ tenentur accedere ad Conclave, et post Papæ electionem et coronationem etiam per duos menses manere, et deinde redire ad suum Episcopatum sub pœna contra Episcopos non residentes. *Urbanus VIII. Const. incip. Sancta Synodus.*

(5. Cardinales, non intrantes Conclave, vel exeuntes sine causa, non sunt amplius requirendi, vel admittendi ad electionem faciendam. *Conc. Constant. sess. 41.* (6. Cardinalibus infirmis exeuntibus a Conclavi, alii debent prosequi electionem, et convalescentes possunt redire. *cap. Ubi periculum, de elect. in 6. et Conc. Constantien. sess. 41.* (7. Similiter absentes, qui intra decem dies non se stiterunt, si supervenerint re integra, debent admitti ad Conclave. *cit. cap. Ubi periculum; et cit. Conc. Constantien. ibidem.*

(8. Dato casu, quo Papa pereat extra Civitatem Romanam, vel extra eam, in qua erat Curia, tunc Cardinales tenentur convenire in Civitatem, in cujus Territorio, seu districtu Pontifex obiit, et ibi in Palatio Episcopali, vel alio commodiori loco construere Conclave, et Papam de more eligere; nisi tamen talis Civitas sit interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellionem persistat, quo casu in aliam vicinorem, non interdictam, nec rebellem debent convenire. *d. c. Ubi periculum, de elect. in 6.* (9. Ex dicta *Const. Greg. X. in cap. Ubi periculum,* deberent Cardinales habitare in habitatione communi, sed *Clemens VI. Const. 5. incip. Licet* decrevit, ut eorum Cellæ per cortinas dividantur. *Concil. Constant. sess. 41.* (10. Cardinales in Conclavi nulli alteri negotio vacare possunt, quam negotio electionis Pontificis, nisi Ecclesiæ necessitas urgeat, et tunc negotia, quæ peraguntur, debent esse omnibus nota. *d. c. Ubi periculum.*

(11. Cardinales in Conclavi nullos debent admittere ad se venientes; nec cuiquam debet dare aditus ad ipsos, et facultas cum eis secreta loquendi. *Greg. X. in d. cap. Ubi periculum,* ibi: «Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secreta loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur.» (12. Nec cuiquam licet mittere ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium vel scripturam, aut cum aliquo ipsorum secreta de negotiis loqui, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *d. cap. Ubi periculum,* ibi: «Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel alicui eorum nuncium mittere, vel scripturam; qui vero contrafecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secreta loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.» (13. *Gregorius X. in d. cap. Ubi periculum,* statuit, ut Cardinales intra tres dies deberent Pontificem eligere, alias

culari Illustriss. DD. Acedatus Barcali, qui SS. N. D. Clem. PP. Clementis XIII est a confessionibus.

iis transactis, per 5. dies sequentes unum tantum ferculum haberent; et si intra 5. dies non eligerent, pane tantum, vino, et aqua reficerentur, donec eligerent; ibi: « Verum si (quod absit), infra tres dies, postquam (ut prædicatur), Conclave præfatum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipsi Ecclesie de Pastore provisum, per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus tam in prandio quam in cœna una solo ferculo sint contenti, quibus (provisione non facta) decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum, et aqua ministrentur eisdem, doneceadem provisio subsequatur » (14. Et merito hæc Lex constituta fuerat ad præcavenda de cætero infinita propemodum detrimenta, quæ passa fuerat Ecclesia Catholica in tam longa vacatione Sedis Apostolicæ. Vacaverat enim Sedes Apostolica post mortem Clementis IV. sui immediati prædecessoris per annos duos, menses novem, et dies duos secundum Graveson. in *Tabula Chronologica*, et Panvinium in *Chronol. Ecclesiast. in annot. Clement. IV. et Greg. X.* donec suasionibus præcipue, et consiliis Sancti mei Seraphici Bonaventuræ, qui tunc totius mæ Religionis Ministrum Generale agebat, Cardinales discordes facti concordem die prima Sept. 1271. elegerunt Thealdum, seu Theobaldum Vicecomitem, patria Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, qui tunc temporis cum Christiano exercitu in Syria degebat, et sequenti anno scilicet 1272. sexto Kalendas April. Romam e Syria reversum in Basilica S. Petri Romanum Pontificem dictum Gregorium X. inaugurarunt, quo Pontifice electo Joannes Cardinalis Portuensis in hæc duo Carmina prorupit:

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia Fratrum.

(15. Hæc Gregor. X. *Constitutio* fuit de facto post ejus mortem statim a Cardinalibus executioni demandata, utpote qui elegerunt Innocentium V. prima, vel altera die ab ingressu in Conclave; cum post obitum Greg. X. non vacaverit Sedes secundum Panvinium in *d. Chronologia Ecclesiastica*, et alias Chronologias, nisi per decem dies, quibus solummodo transactis debent Cardinales ingredi Conclave pro electione, ut fuit statutum in ead. Gregor. X. *Constitutione*, ut patet supra num. 1.

(16. Cardinales in Conclavi excludi non possunt ab electione activa, vel passiva ratione excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. *Clem. de electione, cap. Ne Romani* § *cæterum*, ibi: « Cæterum, ut circa electionem prædictam eo magis vitentur dissensiones, et schismata, quo minor eligentibus aderit dissidenti facultas; decernimus, ut nullus Cardinalium cujuslibet Excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti prætextu a dicta electione valeat repelli. Juribus aliis circa electionem eandem hæcenus editis plane in suo robore duraturis; » et *Constit. Pii IV. incip. In eligendis* § 29. et alia Gregorii XV. incip. *Decet Romanum* § 122. (17. Plura alia observanda a Cardi-

nalibus in Conclavi fuerunt statuta ab ipso Gregorio X. in *cit. c. Ubi periculum*, a Clemente VI. *Const. incip. Licet*; a Concilio Constant. *sess. 41. a Pio IV. Const. incip. In eligendis*. (18. Sed in variis fuerunt moderata, et reformata a Gregor. XV. *Constit. 19. incip. Decet Romanum*, ubi clarius et diffusius omnia explicantur et decernuntur; quæ Gregoriana Constitutio hodie observatur, prout etiam est confirmata ab Urbano VIII. *Const. 45. incip. Ad Romani*. (19. Cardinales in Conclavi existentes possunt in suis Titulis Jurisdictionem exercere, non personaliter, sed per suos Vicarios, et Ministros. Ordinaria enim Jurisdictio, quam habent Cardinales in suis Titulis ad præscriptum *cap. His, quæ 11. de Major. et obed.* non expirat Sede vacante, ut per Card. in *Clem. Ne Romani* § *irritum qu. 3. de elect.* et Fagnan. in *c. Cum 14. de major. et obed. num. 69.* (20. Sic etiam major Pœnitentiarius in Conclavi existens, potest, non personaliter, sed per Officiales Pœnitentiariæ exercere Officium suum extra Conclave. Colligitur ex glossa in *Clem. Ne Romani* § *eo tamen proviso, de elect. verb. Majorem*, ibi: *Tempore inclusionis Major Pœnitentiarius, si est Cardinalis, per se non potest uti Officio; si tamen nollet in clausura manere etiam personaliter utetur Officio*, et expresse Fagn. *l. c. n. 85.* (21. Sic pariter Camerarius Cardinalis in Conclavi existens potest, non per se, sed per suos Ministros et Officiales suum exercere Officium. Camerarii enim, et Pœnitentiarii Papæ Officium, mortuo Papa, non expirat, eisque deficientibus potest Collegium Cardinalium alios subrogare pro tempore Vacationis. *Clement. de election. cap. Ne Romani* § *Eo tamen proviso*. (22. Cardinales non sunt cogendi intrare in Conclave, nisi in casu, quo nullus vellet intrare, vel in casu quo, non electo Pontifice, omnes simul, vel successive exire contingeret; tunc enim intrare, vel reintrare essent compellendi. *Clem. de elect. c. Ne Romani* § *Porro*, ibi: « Porro si Romano non electo Pontifice, Cardin. omnes simul, vel successive (quod absit) exire contingeret Conclave deputatum eisdem, hi, ad quos pertinet executio Constitutionis prædictæ, illos ex ipsis, quibus infirmitas Corporis, aut nota debilitas excusationem non dabit, idem Conclave, quam cito poterunt, reintrare compellant, penas in dicta Constitutione contentas, nisi hoc fecerint, incursum. »

(23. Sede vacante Cardinalium Collegium non succedit Pontifici in his quæ ratione excellentiæ, dignitatis, et præminentæ, ac prærogativæ Papæ tantum sunt reservata, *cap. Ubi periculum* § *iidem quoque, de elect. in 6. et Clem. de elect. cap. Romani*, et *Constit. Pii IV. incip. In eligendis* § 6. (24. Unde Sede vacante non potest Cardinalium Collegium creare Cardinales. Glossa in *d. Clement. Ne Romani, de election. in verb. Potestatis*, quam ibi omnes sequuntur. (25. Imo Sede vacante nec potest Cardinalium Collegium restituere, et habilitare Cardinales per Papam privatos, seu depositos, ne quidem

ad vocem; *cap. Unic. de Schismatic. in 6.* (26. Nec potest Sede vacante tradere Insignia Cardinalatus Cardinalibus nuper creatis, eisque os claudere et aperire. Colligitur ex *cap. Ubi periculum* § *iidem quoque, de elect. cap. Ne Romani*. Eo vel maxime quod nulla talis urgeat necessitas, cum oris aperitio et similia sint simplices Cæremoniæ, quæ ad substantiam electionis non pertinent, et Cardinales noviter electi vocem habent in electione ante aperitionem oris, ex adductis supra in *articulo primo num. 22.* (27. Nec potest, Sede vacante, Episcopos creare, et electos confirmare. Fagnan. in *cap. Cum olim, de major. et obed. n. 32.* cum aliis ibi citatis, nec jam creatos deponere, Glossa *unica in cap. Nullus 7. dist. 79.* quam ibi sequuntur Archidiaconus et alii. (28. Cardinalium Collegium, Sede vacante, Beneficia conferre non potest. Joann. de Selva *de Benefic. part. 2. qu. 2. num. 16. et 18. August. Triumph. de potest. Eccles. quæst. 68. art. 3. Fagnan. loco cit. num. 30.* (29. Nec mirum, quia nec inferiora Collegia hoc habent mortuo Prælato; *c. Illa, ne Sede vacante. c. unic. eodem Titul. in 6. cap. 1. de Institut. in 6. et tenent communiter Doctores*; quamvis Jurisdictio Prælati, Sede vacante, transeat in Collegia inferiora; *ex cap. His, quæ 11. et c. Cum olim 4. de major. et obed. cap. Ad abolendam, de Hæret. c. Episcopali Sede vacante unic. de major. et obed. in 6. cap. Si Episcopus 3. et cap. Ecclesie Cathedrali vacanti 4. de suppl. neglig. Prælator. in 6. c. Cum nullus 3. de tempor. ordinat. in 6.* (30. Et Jurisdictio, et Potestas Papæ, Sede vacante, non transeat in Collegium Cardin. *ex Clem. de Elect. Cap. Romani*, ubi expresse decernitur irritum, et inane quidquid potestatis, aut Jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, Cœtus Cardinalium, Romana Ecclesia vacante, duxerit exercendum, ibi: « Irritum nihilominus, et inane decernentes quidquid potestatis, aut jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis (nisi quatenus in Constitutione prædicta permittitur) Cœtus ipse duxerit, eadem vacante Ecclesia, exercendum. » Et habetur etiam ex *Const. Pii IV. incip. In eligendis* § 6. (31. Unde in hoc Collegium Cardinalium est deterioris conditionis quam sint inferiora Collegia, in quæ sola transit Jurisdictio, Sede Episcopali vacante; et non in Collegium Cardinalium, vacante Sede Apostolica. Ita Joann. de Imol. in *d. Clement. Ne Romani* in 7. *notabil. num. 14. Capye. dec. 114. num. 9. Fagnan. in d. c. Cum olim 14. de major. et obed. num. 55.* et est speciale in Collegio Cardinalium, ut inquit Frederic. de Senis *cons. 16. incip. Capitulum Ecclesie Cathedralis num. 2. vers. Præterea speciale est.* (32. Rationem specialitatis assignat Zenzelinus in eadem Clementina, *Ne Romani*, et Glossa magna in *fin. in cap. unic. de Schismatic. in 6.* videlicet, quia ob accelerandam provisionem Ecclesie, in cujus traditione imminet periculum, speciale quid statui debuit, et est simile in *c. Accusatus 8. de Hæreticis in 6. § Sane.*

(33. Cardinales, Sede vacante, nec in arduis possunt se immiscere, nisi pro Terra Ecclesie defendenda, et grandi evidenti periculo imminenti; *c. Ubi periculum 3. de elect. in 6. § iidem* ibi: « Iidem quoque Cardinales accelerandæ provisionis sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi forsitan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de Terra ipsius Ecclesie defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande, et tam evidens periculum immineret, quod omnibus et singulis Cardinalibus presentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. » Ancharan. *ibid. num. 4. vers. Item notat in verb. iidem quoque.* Fagnan. *l. cit. num. 79.* et expresse etiam Pius IV. in *Constitut. incip. in eligendis* § 6. (34. Cardinalium Collegium, Sede vacante, nullam potestatem, aut Jurisdictionem habet gratiam aliquam, aut Justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare tenetur. Sic expresse Pius IV. in *d. Constit. incip. In eligendis* § 6. ibi: « Sedis autem vacatione durante Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem, aut Jurisdictionem habeat, neque gratiam, neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. » (35. Potest autem Collegium Cardinalium, Sede vacante, mittere unum Cardinalem pro terra Ecclesie defendenda, vel evidenti ingenti periculo, ut colligitur ex *d. cap. Ubi periculum; et Clement. Ne Romani*. Paulus de Eleazaris; Imola *ibid. n. 26. Card. ibid. § Irritum in 2. qu.* (36. Sic etiam potest Cardinalium Collegium mittere unum Cardinalem ad Papam electum in absentia, et illum reducendum ad Urbem, illicque expensas necessarias constituere de redditibus Romanæ Eccl. *Gambar. de Offic. et auctorit. Legat. lib. 9. n. 185. Fagnan. l. cit. num. 43.* (37. Qui tamen missus Cardinalis in utroque casu non esset proprie Legatus cum Jurisdictione, et potestate Legati, sed Nuncius ad illam tantummodo necessariam defensam, vel ad nudum illud Ministerium facti. *Cardinal. in d. Clementin. Ne Romani* § *Irritum in 2. quæst. de electione*, et ibi etiam Imol. *num. 26. et Fagnan. l. cit. num. 43.* (38. Item potest Collegium Cardinalium, Sede vacante, Legatum missum a Papa revocare ex magna, et evidenti necessitate; *arg. c. Ne pro dilatione, de penit. et remiss. c. Ubi periculum, de elect. in 6. Clement. Ne Romani, de elect.* (39. Non autem sic posset revocare sine magna et evidenti necessitate; *arg. c. Cum inferior 16. de majorit. et obed. et l. Minor Magistratus, ff. de minoribus, Fagnan. l. cit. n. 45 et 46.* (40. Duobus de Papatu contententibus, et Generale Concilium convocare renuentibus, potest fieri convocatio a Collegio Cardinalium. *Cardin. Zabarella in consil. 150. incip. In questione num. 6. in 3. quæst. Fagnan. loco cit. num. 50.* quoniam eum sint in pos-

sessione eligendi Romanum Pontificem; cap. *In Nomine Domini* 1. dist. 13. cap. *Licet* 6. de elect; cap. *Ubi periculum* 3. de elect. in 6. et c. *Ne Romani* 6. Clem. de elect. per consequens ad eos spectant omnia, quæ sunt consequentia ad electionem; cap. *Cupientes* 16. de election. § *Ad hæc, et § Si vero, cap. Si fort.* 9. et quod ibi notatur in gloss. 3. dist. 65. (41. Cardinalium Collegium potest, et debet intrusum in Papatu anathematizare, et extrudere, textu expresso in cap. *Si quis pecunia* 9. dist. 79. ibi: « Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, aut militari, tumultu, sine concordia, et canonica electione, et Cardinalium et sequentium Ordinum Religiosorum Clericorum fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur; liceatque Cardinalibus, et aliis Clericis Deum timentibus, et Laicis invasorem etiam cum anathemate, et humano auxilio, et studio a Sede Apostolica repellere, et quem dignum judicaverint, præponere. » Et hujus Canonis dispositio non est sublata, quin potius est præservata in dict. cap. *Ubi periculum* § *idem quoque, de elect.* in 6. Nam extrudere invasorem Pontificatus spectat manifeste ad electionis negotium, cui jubentur Cardinales sic attente vacare, ut de nullo alio negotio sese intromittant, nisi data urgente, et imminente necessitate, et gravi periculo, quale esset in casu talis intrusionis, cui celeriter esset occurrendum, ut dicitur in ipso § *idem quoque.* (42. Cardinalium Legatorum Apostolicorum Officium non expirat per obitum Papæ, seu Sede vacante textu expresso in c. *Legatos* 2. de Officio Legati, in 6. ibi: *Præsentem declaramus edicto commissum tibi a Prædecessore nostro Legationis Officium nequaquam per ipsius obitum expirasse.* (43. Congregationum Cardinalium facultates sunt perpetuæ, et non expirant per obitum Papæ, sed etiam durant in tempus Pontificum Successorum; habent enim Jurisdictionem Ordinariam, cum Jurisdictione, quæ defertur a Rege vel Statuto, sit ordinaria; l. *Et quia, ff. de jurisdict. omn. Judic.* l. 1. in respons. ff. de Offic. ejus, cui mandata est Jurisdict. Tum quia de natura Constitutionis est, ut sit perpetua; cap. *Nemini* 10. de Offic. Legati; *Frederic. de Senis consil.* 16. incip. *Capitulum;* *Fagnan. loco cit. num.* 72. et nostro in proposito satis clare cautum reperitur in declarationibus facultatum earumdem Congregationum editis a Sixto V. *Constitut.* incip. *Immensa* § 3. ibi: *Graviora vero quæcumque ad Nos, vel Successores nostros deferantur.* Ecce perpetuitas, non enim possunt graviora ad Successores Pontifices deferri, nisi constitutio id statuens esset perpetua; et clarius habetur in § 18. ibi: *Ut autem hæ nostræ litteræ quam primum ubique locorum, et gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas, et perpetuas Constitutiones annumeramus.* (44. Ultraquam quod creato novo Pontifice facultates Congregationum numquam consueverunt renovari, sed fiunt Congregationes, prout solebant vivente Papa Prædecessore, quod aperte demonstrat eas facultates non expirasse,

alioquin opus esset nova concessione, quia Jurisdictione semel extincta, etiam causa extinctionis cessante, non reviviscit; l. *Qui res § Arcam, vers. in perpetuum,* cum concord. de quibus ibi per *Gloss. ff. de solut. cap. Quæris ver. Non potest autem,* et ibi *Glossa in verb. contrahatur dist. 4. de consecrat.*

(45. Licet autem Congregat. Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen Sede vacante, Cardinalibus in Conclavi manentibus, debent conquescere, et dormire quoad negotia illa, et causas, quæ in Congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præfecti, seu habentis Sigillum. Et ratio est, quia in cap. *Ubi periculum* 3. de election. in 6. § *idem quoque,* præcipitur Cardinalibus existentibus in Conclavi, ut accelerandæ electioni Summi Pontificis sic vacent attentius, ut se nequaquam de alio negotio intromittant, exceptis duobus tantum casibus, id est urgentis necessitatis pro Terra Ecclesiæ, vel aliqua ejus parte defendenda, et grandis periculi imminenti, ibi: « *Idem quoque Cardinales accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant nisi, etc.* » Vide supra n. 33. quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium, ita ut imminente electione Summi Pontificis Cardinales Electores non debent se ab illa divertere, nam pluribus intentus, etc. l. *Nemo C. de Assess. c. Divers. 3. de Cler. Conjugat.* et notat in d. cap. *Ubi periculum.* Joann. Andreas in verb. *alio negotio;* Ancharan. n. 4. vers. *item notat in verb. idem quoque.* (46. Congregationum Cardinalium autem negotia, quæ in communi forma a solo Secretario expediri solent, possunt etiam expediri Sede vacante; et ratio est, quia in his levibus, et ordinariis negotiis, quæ a Cardinalibus non per se ipsos, sed per Secretarium expediri consueverunt, cessat omnino finis prohibitionis; d. cap. *Ubi periculum,* scilicet ne electionis negotium protrahatur, in quo grave imminet periculum, ut ibi in principio, et in § *idem quoque,* adeoque etiam prohibitio cessare debet; cap. *Et si Christus* 26. de jurejurand. cum similibus, et consequenter cum facultates Congregationum non expirent per obitum Papæ, ut dictum est num. 43. utique poterunt in his levibus negotiis per Secretarium, ut antea, exerceri, ut sentit *Glossa in d. Clement. Ne Romani § Eo tamen proviso, in verb. Expirare.* (47. Et sic per Secretarium Congregationis Episcoporum, et Regularium possunt, Sede vacante, Cardinalibus in Conclavi manentibus, expediri licentiæ pro puellis educandis, prout fuerunt expeditæ tempore Sedis vacantis per obitum Urbani VIII. ex ordine dato a Cardinalibus ante ingressum in Conclave, prout refert *Fagnan. loco citato num.* 83. et eadem ratione dari poterunt Transumpta, et Duplicata, seu ut vocant, *Ita reperitur,* et alia hujusmodi, uti sunt etiam causæ ante obitum Papæ jam resolutæ in Congregatione, quæ expediri poterunt a Secretario in illis casibus, in quibus sufficit

ejus subscriptio. Ita expresse *Fagnan. loco cit. num.* 83.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(48. Cardinales initio Conclavis jurejurando servare promittunt Constitutiones, quæ habentur in Cæremoniali Electionis Papæ. (49. Editæ eæ diversis temporibus fuere, nempe a Concilio Lateranensibus sub Nicolao II. anno 1059. sub Alexandro III. anno 1188. Lugdunensi sub Gregorio IX. anno 1272. Viennensi sub Clemente V. anno 1310. a Clemente VI. anno 1353. a Julio II. anno 1503. a Paulo IV. anno 1558. a Pio IV. anno 1562. a Gregorio XV. anno 1621. ab Urbano VIII. anno 1625. et a Clemente XII. anno 1732 (1).

(50. Ex hisce autem Constitutionibus facile est colligere quomodo gerere se debeant Cardinales in Conclavi. At ne nimius sim, vid. *Plat. de Cardinalis Dignitat. et Offic. cap. 31. cum additionibus Reverendissimi Tria.*

RTICULUS VI.

Quoad Cardinalium sepulturam, et quartam parochialem

(1. Cardinales Romæ decedentes non electa sibi Sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia sui tituli, si sepulcrum Majorum non habeant; et non in Parochia. Sic *Rota in Romana juris tumulandi* 20. Februarii 1702. coram D. Priolo, in Sepultura Cadaveris Cardinalis Pallavicini Episcopi Auximani anno 1700. in Urbe decessi sine electione Sepulturæ, et de mandato Eminentissimi Vicarii sepulti in Ecclesia S. Martini in forma depositi, et facta obligatione de illo restituendo contra Ecclesiam S. Andreae de Fractis Parochialem, in qua obiit, favore dictæ Ecclesiæ S. Martini Titularis, Amostaz. de causis piis lib. 6. de funer. c. 8. n. 62. Card. Alban. de Card. q. 50. vers. *vel dicamus.* Passer. de statu hominum art. 4. inspect. l. c. 2. n. 320. et alii passim. (2. Si verò tales Cardinales nondum habuerint Titulum, sepeliendi sunt in Ecclesia S. Joannis Lateranensis, cum ipsa sit Cathedralis Urbis. *Cohell. de notitia Cardinal. cap. 16. privil. 38. § Verum,* *Petra tom. 2. comment. in Constitut. 2. Honor. III. n. 32.* Alban. Passerin. Amostaz. loc. mox citat. et *Rota in dicta Romana coram D. Priolo num.* 12. (3. Si tamen Cardinales decedentes non electa Sepultura, habeant sepulcrum Majorum, in eo sunt sepeliendi, in quo urget major affectio, sicuti hæc ratione sepelitur qui potius in Sepulcro Majorum, quam in Parochia. Sic expresse Card. *Petra loc. cit. n. 32.* Ultraquam quod Cardinales habentes Sepulcrum Majorum, censentur tacite eligisse ipsum pro sua Sepultura, arg. c.

(1) Has omnes constitutiones collegit Fr. Antonius Scraphinus Camarda, et dissertationibus 45 in quibus quæ ad electionem Pontificis spectant, operose discutuntur, Reate 1752, illustravit in libro, quem prænotavit: *Constitutionum apostolicarum, unquam cæremoniali Gregoriano de pertinentibus ad elec-*

Ebron. 2. et c. Unaqueque 3. caus. 13. qu. 2. (4. Cardinales autem decedentes extra Urbem, sive in Patria, sive alibi, sive in itinere, antequam ad Urbem pervenerint, non electa sibi sepultura, nec habentes ibi Sepulcrum Majorum, sepeliendi sunt in Ecclesia Majori loci obitus, quia ratione Dignitatis illa Ecclesia censetur Parochialis defuncti Card. *Murga de sepult. tr. 8. disqu. 2. Section. 2. dub. 7. conclus. 4. Petra loc. cit. n. 34.* et *Rota in dicta Romana coram D. Priolo num.* 16. (5. Nisi tamen alicui Parochiæ sint obligati ex receptione Sacramentorum. Card. *Petra loc. cit. n. 34.* et videtur sentire *Rota in d. Romana num.* 15. (6. Cardinalis Regularis, sicuti quilibet alius Cardinalis, potest sibi eligere sepulturam ubilibet sine licentia Superioris Regularis: alias decedens non electa sepultura, sepelitur in propria Ecclesia sui tituli. Non enim in dicto casu supponitur, Cardinalem Regularem libere voluisse sepeliri in Ecclesia Regularium, quia magis stringit vinculum proprii tituli Cardinalitii, quam vinculum generale Religionis. (7. Tum quia dum Regularis assumitur ad Cardinalatum, eximitur ab obedientia Religionis, et sic sicuti remanet solutus a Lege vetante electionem Sepulturæ, ita præsumptio oritur ut electio debeat esse in eo loco, in quo uti Cardinalis, et non uti Regularis, sepeliri debuerat, etiamsi Sacramenta alibi recipiat, ut prosequitur *cit. decis.* apud *Piton. discept. Eccles. tom. 2. post disceptat. 51. Petra loc. cit. n. 33.* (8. Nullis autem Cardinalibus permittitur unquam sepeliri in Basilica Vaticana. *Cohell. in notit. Cardin. privil. tit. 90. Passerin. loc. cit. n. 319. Petra loc. cit. n. 28.* (9. Quarta autem Parochialis, seu Portio Canonica debetur proprio Parocho ex funere Cardinalium, qui sepeliuntur extra Parochiam. *Antonell. de regimin. Eccles. l. 1. cap. 12. num. 30. Piton. in addit. ad dict. discept. 51. in fine; Petra loc. cit. n. 55.* Et sic sentire videtur *Rota in dict. Romana coram D. Priolo pro Sepultura Cadaveris Cardinalis Pallavicini num.* 3. ibi: « Quarta, quæ in quocumque casu Parochiæ debetur, cum ista sit in præmium laborum, et propter administrationem Sacramentorum, ac contrahatur in ipsa Nativitate, nempe ex susceptione Baptismatis. »

(10. Formæ et solemnitas in exequiis S. R. E. Cardinalium servanda præscribitur a Benedicto XIV. *Tom. 1. Bullar. Constit. 37. incip. Præcipuum,* in qua § 2. præsertim mandat haberi Capellam Pontificiam ad Missam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Quod ait Auctor, Cardinales, qui nec sepulturam elegerunt, nec sepulcrum habent Majorum, sepeliri debere in Ecclesiis suorum

tionem Papæ synopsis, etc. Ducit autem ille paulo remotius initium a Symmachi Papæ decreto in Romano a 499 Concilio. Porro cum edito jam libro Clementis XII, hoc de argumento constitutio prodisset, hæc ipsam Camarda cum suis animadversionibus, aliisque nonnullis addidit. (EDIT. BARBIELL.)